



I. Abteilung: Abhandlungen.

Commentaria Cajetani in Summam S. Thomae

notis illustrata a P. Gregor. de Holtum, O. S. B. Pragae.

A. I. Art. I.: Utrum sit necessarium, praeter philosophicas disciplinas aliam doctrinam haberi.

Commentaria Cajetani.

Conclusiones corporis articuli:

Prima est: Necessarium est ad humanam salutem, esse doctrinam per revelationem acceptam de multis, quae humanam rationem excedunt.

Secunda est: Necessarium est ad humanam salutem, esse doctrinam per revelationem de his, quae de Deo etiam naturali ratione investigari possunt.

Praenotanda.

Primum: In titulo hujus primi articuli tres terminos nota: primo *ly* necessariam: dupliciter namque sumitur V Metaph. — Simpliciter et ad finem.¹⁾ Hic sumitur secundo modo.

Secundo *ly* physicas disciplinas. Dupliciter namque scientia potest dici physica seu naturalis, quod idem: objective, — et sic est una pars scientiae, distincta VI Metaph. contra mathemati-

¹⁾ Simpliciter necessarium est, quod ab ipsa natura subjecti recipiat oportere necessitatem existendi (Deum esse) vel taliter existendi (circulum necesse esse esse rotundum) quin ullo modo finis notetur. Quod vero ex fine recipit necessitatem, recipit eam vel ex natura subjecti, ut necesse est hominem tendere ad beatitudinem, vel recipit eam ex superaddita subjecto aliqua positione, quae non per se subjectum sequitur, ut homo natandi inscius ad transfretandum flumen indiget navi. Quod ex natura subjecti necessarium est, simpliciter, quoad esse, quoad omnes necessarium est. Quod secundo modo necessarium est, vel simpliciter necessarium est, ut quicumque natandi inscius indiget navi, vel secundum quid, ut non omnis homo ad transfretandum flumen indiget navi.

cam et metaphysicam — et effective, quia secundum se nata est esse a principio naturali scientiarum, i. e. lumine intellectus agentis. Et sic distinguitur physicum contra supernaturale. Et hoc modo sumitur in proposito, ubi physicae disciplinae appellantur omnes notitiae acquisibiles lumine intellectus.

Tertio: ly aliam doctrinam. Non dicit scientiam, opinionem aut fidem: quod bene notandum esse, in dubitando apparebit.

Secundum praenotandum: Ad evidentialium distinctionis et sufficientiae conclusionum, nota duas distinctiones. Prima est ex I Contra Gentiles cap. 3: duo sunt genera cognoscibilium de Deo principaliter — quaedam demonstrabilia — quaedam non nisi per revelationem¹⁾ cognoscibilia. Ista sunt Trinitas personarum beatitudo nobis promissa, Incarnationis et Redemptionis mysteria: illa vero sunt, Deum esse unum, immortalem etc. — Ratione revelabilium tantum posita est prima conclusio, ratione vero demonstrabilium posita est secunda.

Altera distinctio est ex V Metaphys.: Necessarium ad finem dupliciter: ad esse et ad bene esse. In prima conclusione sumitur necessarium primo modo, in secunda secundo modo.

Demonstratio.

Probatur prima conclusio ex littera: Ordinatam ad Deum ut finem ignotum ratione naturali, consequendum tamen propria intentione et actione, eget supernaturali disciplina, qua finem cognoscat et operationes in illum dirigat. — Homo est ejusmodi: Ergo. — Probatur Minor ex LXIV cap. Isaiae.

Secundo autem conclusio probatur: Disciplina qua communius, citius et tutius pervenitur ab hominibus ad cognitionem divinarum demonstrabilium, est homini necessaria; — disciplina revelationis est hujusmodi. — Ergo. — Omnia patent in littera, et diffusius in I. Contra Gentiles c. 4.

Quaestiones.

Quaestio prima: Circa primam conclusionem dubium statim²⁾ occurrit, quid intelligatur hic nomine sacrae doctrinae

¹⁾ Revelatio hic ita sumitur, ut et activam et passivam in se complectatur. Ad quod intelligendum nota: »Revelatio sive locutio Dei sumi potest active vel passive. Active sumpta est actus Dei formaliter immanens et tantum virtualiter transiens, quatenus causat aliquod creatum sui signum per quod nobis innotescit. Unde revelatio et locutio Dei activa supra cognitionem divinam addit liberum decretum eandem suam cognitionem nobis manifestandi. Revelatio passiva potest accipi in duplici sensu, primo ut intelligatur ipsa activa Dei revelatio rem revelatam denominans, secundo ut intelligatur aliquod signum externum, in quo illa revelatio relucet et in nostram notitiam venit.« P. Mezger, Theol. schol. t. 3^{us} tract. 9. Art. 3. § I.

²⁾ Sunt, qui dicunt: vana videtur studiosa expositorum inquisitio, de qua doctrina hic s. D. loquatur: quaerunt videlicet quae ille dicere adhuc noluit.

seu disciplinae. Aut enim intelligitur fides aut theologia. Si fides, sequuntur duo inconvenientia: Primum est, quod idem bis quaeretur; nam in secunda secundae 92 a 3 quaeretur, an credere aliquid supernaturale sit necessarium ad salutem. Secundum est, quod aequivoce sumitur sacra doctrina in hoc et in sequentibus articulis; nam constat, quod in eis non sumitur pro fide.

Si theologia, sequeretur quod fides absque theologia non sufficeret ad salutem hominis, quod est falsum. Sequela patet; quia in littera dicitur, quod illa doctrina est necessaria ad salutem humanam. Falsitas vero consequentis et ex se patet, et ex ratione in littera assignata convincitur, quia scilicet homo potest intentiones et actiones suas per fidei cognitionem in finem supernaturalem dirigere.

Resolutio Quaestionis 1) Ad hoc dicendum est, quod sacra doctrina neque sumitur pro fide, ut distinguitur contra theologiam, neque pro theologia, ut distinguitur contra fidem, sed sumitur pro cognitione a Deo revelata, sive formaliter sive virtualiter ut habet rationem disciplinae et doctrinae, abstrahendo a ratione crediti et sciti. 2) Cognitio autem qua egemus ad salutem, prout a Deo docente in homine suscipitur, doctrina est et disciplina

Nam verba: »aliam doctrinam« sat generica sunt et indeterminata, quia adhuc ignoratur, quodnam materiale objectum attingatur; ergo et haec verba: »sacra doctrina«, indeterminate sunt sumenda: vult enim s. D. indeterminate loqui, sicut synthetica exigit methodus, quae ab universalioribus incipit. Qui igitur hic praematurato ab initio tractatus determinare volunt, quae postea s. D. determinat, synthesis leges offendunt, ordinem a s. D. praestitutum turbant, morbidam curiositatem nutriunt, confusionem in juvenum mentes ingerunt, pulchritudinem in debita partium dispositione constantem a littera s. D. auferunt. Citius certe adolescentes quaedam hoc modo addiscent, at neque clarius neque ordinatius, quod tamen principalissime s. D. intendit, ut ex prologo liquet: hinc doctissimi viri minus doctrinarum copiam, subtilitatem et profunditatem quam mathematicam methodum in s. D. admirantur. — Quod quidem verissime dictum est; sed cum Cajetanus probet, Thomam indeterminate loqui, quoad rem non dissentit, licet methodice peccet.

1) Quod subsequens »Cajetani interpretatio sit propinquior menti s. Thomae, apparet 1^o ex eo quod in responsione ad 1^m Angelicus expresse ait: in huiusmodi a Deo revelatis sacra doctrina consistit. Et in responsione ad 2^m non ait: theologia revelata, est sacra doctrina, sed theologia quae ad sacram doctrinam pertinet etc. Videlicet reducit theologiam sub sacra doctrina tamquam minus sub majori universali. Consequenter sacra doctrina heic denotat genericè omnem cognitionem habitam per lumen supernaturale revelationis: propter quod in titulo nominatur sacra doctrina, non autem scientia, neque opinio, neque fideo.« Buonpensieri in suis Commentariis in Summam (1902) p. 13.

2) Per se patet, doctrina sic sumpta, abstrahi a ratione sciti, sed non immediate intelligitur, abstrahi etiam a ratione crediti, cum formaliter notetur, doctrinam haberi per revelationem, quae immediate importat, ut videtur, rationem crediti. Respondetur, doctrinam valere tum de veritatibus demonstrabilibus tum de veritatibus credendis, et proinde abstrahitur ab utroque; et confirmatur eo, quod disciplinae, cui sacra doctrina aequiparatur, est instruere, instructio sciatur aut credatur.

iuxta illud Joh. VI „Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me“, et de hac dicitur in conclusione hac, quod est necessaria ad salutem. Et quoniam cognitio hujusmodi, ut disciplina est revelata, abstrahit a ratione credendi et sciendi, et a ratione revelati formaliter — id est in seipso — et virtualiter — id est in suis principiis — ideo hoc in loco, ubi de doctrina revelata praeter physicas disciplinas quaeritur, ad nullum horum licet determinate descendere. Et sic aliud formaliter quaeritur hic, et aliud quaeretur inferius in secunda secundae, quia hic de doctrina,¹⁾ ibi de credere. Et univoce sumitur hic sacra doctrina et in sequenti articulo. Nec sequitur, quod theologia ut distinguitur contra fidem, sit necessaria, sed quod theologia ut abstrahit a fide et scientia, sit necessaria ad salutem, quod constat esse verum propter rationem in littera assignatam. Nec valet: Fides sufficit. Ergo theologia non requiritur.

Tum, quoniam in fide clauditur theologia ut animal in homine²⁾ tum quoniam scientia haec, apud Augustinum XIV de Trinitate non solum nutrit, defendit et roborat fidem, sed gignit eandem. Et vere sic est ex parte credibilium. Fides enim licet sit a Deo infundente inclinationem ad credendum est tamen ex auditu per verbum Christi, quoad credibilia, ut ad Rom. habetur in littera et a s. Thoma. Et sic theologia clauditur in fide ut gignens eam.³⁾ Et si inferatur: ergo quilibet fidelis adultus explicite credens est theologus: dicendum est, quod non simpliciter, sed particeps est theologiae secundum quid etc., scilicet secundum principia, etc.

Quaestio secunda: Num finis ultimus animae nostrae sit naturalis nobis supernaturaliter tamen consequendus, vel supernaturalis?

Circa hanc partem est advertendum, quod Scotus in I Quaest. Prologi Primi Sententiarum nec a conclusione nec a ratione discordat, sed a causa, quare finis ille est nobis naturaliter occultus. Nos enim dicimus, quod finis ille est nobis naturaliter occultus, quia est supernaturalis finis animae nostrae et propterea, quantumcumque perfecte nota esset nobis natura nostrae animae quoad naturalia, numquam cognosceretur sub ratione, qua ordinatur in talem finem, quia extra naturalium latitudinem est tam finis quam illa animae ratio.

¹⁾ de notitiis a Deo docente acceptis.

²⁾ Sicut imperfectum in perfecto; est enim fides, quae immediate et tota innititur auctoritati Dei, quae summa est, perfectior theologia, quae, ut scientia conclusionum ex creditis, tota innititur qua talis rationi.

³⁾ ut praerequisitum ex parte fidei, prout gignenda est. Fides ergo scientificae procedens seu fides theologiam in se continens gignit fidem in audientibus verbum Christi.

Ipse vero tenet illum finem esse naturalem nostrae animae, quamvis supernaturaliter adipiscendum. Et tamen esse naturaliter incognitum, quia anima nostra non nobis naturaliter est nota, saltem pro statu isto, sub illa propria et speciali ratione, qua ordinatur ad illam finem.

Quod autem finis ille sit naturalis, probat tripliciter.

Primo auctoritate Augustini, in lib. de Praedestin. „Proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem naturae est hominum; habere autem gratiae est fidelium.“

Secundo ex appetitu: Homo naturaliter appetit illum finem quem dicis supernaturalem; ergo est ei naturalis.

Tertio ex ratione naturalitatis: Potentia, comparata ad actum, aut est naturalis, aut violenta, aut neutra: nec est ibi aliqua supernaturalitas; ergo intellectus seu anima, naturaliter ordinatur ad visionem Dei seu fruitionem.

Antecedens quoad partem affirmativam declaratur, quia potentia aut inclinatur ad talem actum, aut repugnat tali actui, aut neutraliter se habet; — si primo modo, est naturalis, si secundo, violenta, si tertio, neutra

Quoad partem vero negativam declaratur: differentia naturalitatis a supernaturalitate attenditur penes comparisonem potentiae ad agens naturaliter vel supernaturaliter impressivum in talem potentiam¹⁾; igitur comparando potentiam ad actum, nulla est ibi supernaturalitas.

Consequentia vero probatur ex eo, quod anima inclinatur in omnem suam et praecipue summam perfectionem, qualis est actus fruitionis Dei.

Ad evidentiam hujus difficultatis scito, quod apud nos potentia aut est naturalis, aut violenta, aut oboedientialis, et hoc tam in comparatione ad actum quam ad agens, nec aliqua est in rerum natura potentia neutra, omissis artificialibus, ut in Quaestione de Potentia neutra iuxta hunc articulum dicitur. Vocatur autem potentia oboedientialis aptitudo rei ad hoc, ut in ea fiat, quicquid faciendum ordinaverit Deus. Et secundum talem potentiam, anima nostra dicitur in potentia ad beatitudinem pollicitam, et finem supernaturalem, et alia huiusmodi.

Unde ad primum Scoti dicitur, quod Augustinus non dixit quod posse habere fidem sit naturale homini, sed quod

¹⁾ Sed quodlibet agens impressivum in talem potentiam est impressivum in eam sub intrinseca habitudine ejus ad actum talem vel talem, nec aliter naturalis et supernaturalis impressio in talem potentiam concipi possunt. Et sic Scotus concedere cogitur, quod negaverat, et necessario dicendum est ei, quod si potentia se refert ad actum novo objecto instructum, ipsa potentia non ex habitudine ad agens impressivum sed ex se dijudicanda est. Sed sic res se habet in proposito. Nam, ut S. Th. 1 p. q. 12. a 2. 4. demonstrat, Deus in se visus est objectum novum. Ergo.

sit naturae hominum. Aliud est enim potentiam esse naturae,¹⁾ et aliud esse naturalem.

Primum enim significat subjectum potentiae, secundum autem modum potentiae. Et ideo primum est verum in proposito, secundum vero falsum. Potentia siquidem illa oboedientialis ad fidem et charitatem, est in natura hominum²⁾, non autem in natura leonina, quoniam sibi repugnat. Et hoc intendebat Augustinus.

Ad secundum negatur antecedens.

Ad tertium vero negatur assumptum et quoad tertium membrum partis affirmativae et quoad partem negativam. Supernaturalitas siquidem attenditur etiam conferendo potentiam ad actum³⁾, quoniam sunt quidam actus, qui ex genere suo sunt simpliciter supernaturales, ut gratia, gloria et alia hujusmodi, ut in alia Quaestione patebit.

Quaestio tertia:

Num diversa ratio cognoscendi inferat cum distinctione scientiae eiusdem necessitatem?

Ad secundum adverte, quod argumentum erat hoc⁴⁾: Omne ens est scibile per physicas disciplinas; ergo non restat aliquid scibile per doctrinam revelatam, et consequenter non est necessaria.

Consequentia prima probatur, quia nihil scitur nisi verum, quod cum ente convertitur. Antecedens vero patet VI Metaphys. et inductive.

Ad hoc autem dupliciter responderi potest, secundum quod Antecedens dupliciter distingui potest. Primo sic: omne ens secundum omnia, quae sunt cognoscibilia, vel non secundum omnia, sed abstrahibilia tantum a sensibilibus est scibile per physicas disciplinas in primo sensu est falsum, in secundo verum.

Secundo sic: omne ens omni modo, vel non omni modo, sed in quantum illucescere potest per lumen intellectus agentis, est scibile per physicas disciplinas in primo sensu est falsum, in secundo verum.

Quamvis autem utramque responsionem argumentum recipiat, placuit tamen Auctori secundam responsionem adhibere non primam explicite,⁵⁾ tum ut ex propriis huius articuli lumine scilicet divinae revelationis, oppositas difficultates solveret,⁶⁾ tum quia prima responsio iam in corp. art. in prima concl. habebatur.

¹⁾ saltem modo oboedientiali.

²⁾ et habere actu gratiam non est secundum modum naturae humanae.

³⁾ in habitu ad novum objectum.

⁴⁾ sc. adversariorum.

⁵⁾ hoc nota!

⁶⁾ lumen intellectus agentis et lumen a divina revelatione desumptum sibi opponuntur.

Verumtamen Scotus, in Primo, quaestione prima Prologi, in solutione secundi argumenti pro philosopho hanc responsionem reprehendit, eo quod secundum eam non salvatur necessitas theologiae, quam argumentum infringere intendebat. Probat autem sic: Ex hac responsione nihil aliud habetur nisi eadem per theologiam et alias scientias cognosci, quamvis alio modo, sicut per astrologiam et physicam scitur quod terra est rotunda. Ergo non salvatur necessitas, sed distinctio theologiae ab aliis. Tenet consequentia ex proportionalitate a te assignata, quoniam ex quo illa conclusio terra est rotunda: est scita per alteram scientiarum, reliqua non est necessaria respectu illius quoad sciendam conclusionem, quamvis sit distincta. Ad hoc respondetur, quod diversitatem modi sciendi diversitas obiecti formaliter sumpti seu rationis formalis obiecti comitatur, compatiendo tamen quandoque identitatem aliquo modo conclusionis, si adaequata est ratio modo. ¹⁾

Aut etiam saltem comitatur diversitas multarum veritatum scibilium, si inadaequata est ut inferius art. 3 patebit. Unde eadem res sub diversis rationibus cognoscendi acceptae diversitatem cognoscibilium inducunt. Et propterea, dicendo quod est diversa ratio cognoscibilis, implicite insinuavit arietatem quoque cognoscibilium, quam jam in prima conclusione expresserat.

Et propter hoc negatur antecedens: quoniam ex hac responsione, quamvis explicite non habeatur nisi diversitas modi cognoscendi, implicite tamen habetur etiam diversitas cognoscibilium. Ad exemplum autem de astrologia, licet dici posset, quod exemplorum non requiritur assimilatio in omnibus, tamen, exemplum sequendo, dicitur quod, sicut in astrologia alio lumine quam physica in aliquam conclusionem coincidit, et non in

¹⁾ Diversitas modi sciendi consistit in diversitate principiorum, ex quibus ad sciendum proceditur. Sed haec principia sunt lumen intellectus cognoscentis ut eo intellectus proxime potens est ad cognoscendum. Proinde, cum sit necesse, objecta cognoscibilia proportionari lumini, ita ut quod uno lumine illustratur, non possit illustrari alio lumine, sequitur, quod diversitatem modi sciendi diversitas obiecti formaliter seu rationis formalis obiecti comitatur.

Et in hoc casu datur tum stricta diversitas duarum scientiarum tum stricta necessitas scientiae altioris ad sciendum novum objectum. Sed potest etiam fingi lumen, quod de eisdem formaliter rebus veritates patefacit, quae non patefiunt lumine naturali, ut si v. g. Deus per lumen alicuius revelationis de rebus philosophicis revelaret veritates in se quidem naturales, tamen numquam proprio Marte mortalium cognoscendas. In hoc secundo casu, ubi intellectus sibi relictus non proxime potens est ad cognoscendum, habetur, quod inadaequata est ratio modo, eo quod obiectum quoad diversitatem non aequiparatur diversitati luminis — et in hoc casu comitatur saltem diversitas multarum veritatum scibilium. In primo casu datur, quod ratio est adaequata modo, ut patet et tunc diversitas compatitur aliquo modo identitatem alicuius conclusionis, i. e. potest existere identitas quasi materialis, ut v. g. sciendo reprobatum privari beatitudine supernaturali, scitur etiam privari eum beatitudine naturali.

omnes, sic theologia alio lumine et easdem veritates quas aliae scientiae¹⁾ et alias veritates de eisdem²⁾ rebus³⁾ considerat. Et sic, quemadmodum astrologia, quamvis coincidat quoad materiam in aliquam conclusionem physicam, quia tamen alio lumine, et consequenter alias veritates considerat, est non solum diversa, sed necessaria scientia, sic et theologia est ab aliis diversa et necessaria.

A. I. Art. II.: Utrum sacra doctrina sit scientia

Praenotandum: In titulo hujus secundi articuli nota duos terminos: primo ly scientia; secundo ly sacra doctrina. Scientia enim sumitur hic proprie, ut est intellectualis virtus (VI Ethic., cap. VI, n. I.) et habitus conclusionum per demonstrationem acquisibilis ex principiis. Et quoniam talia sunt subjecta qualia permittuntur a praedicatis⁴⁾, consequens est quod ly sacra doctrina sumatur hic pro doctrina revelata ut est conclusionum. Neque enim sumitur pro tota (quoniam stultum videtur quaerere an tota cognitio, claudens in se principia et conclusiones, sit scientia, cum constet, principiorum non esse scientiam): sed pro ipsa absolute, ut in primo articulo⁵⁾, adiuncto respectu ad conclusiones. Ita quod sensus quaestionis est: An sacra doctrina, quam probavimus necessariam, quoad conclusiones suas habeat rationem scientiae, an non, sed opinionis etc. Et sic idem omnino est subjectum quaestionis et conclusionis responsivae⁶⁾: et quaestiones aequantur vere scitis⁷⁾, iuxta doctrinam II Poster. (cap. I, n. I).

Praenotandum IIum: Primo (prae) ponitur (conclusioni) unica distinctio. Distinctio est: Scientia duplex, subalternans et subalternata, ex I Poster. (cap. XIII, n. 13). Differentia inter has est, quod subalternans procedit ex propositionibus per se notis, subalternata vero ex principiis notis non per se, sed lumine superioris scientiae, ut patet in arithmetica et musica, geometria et perspectiva.

Circa hanc distinctionem ac differentiam vide quod ex propria ratione scientiae absolute nascitur haec differentia assignata in

¹⁾ sed tantum aliquo modo ut iam notavit Cajetanus.

²⁾ materialiter.

³⁾ v. g. de homine.

⁴⁾ id est: secundum id, quod de eis quaeritur, utrum necne sit attribuendum.

Hic quaeritur, utrum sacra doctrina sit scientia; sed scientia est de conclusionibus; ergo hic quaeritur, an sacra doctrina quoad conclusiones suas habeat rationem scientiae, ut Cajetanus statim expositorus est.

⁵⁾ ut denotat notitias a Deo docente acceptas.

⁶⁾ Subjectum quaestionis est: sacra doctrina, ut sumpta est in primo articulo, et subjectum conclusionis est eadem sacra doctrina, quae conclusione quasi coarctatur ad scientiam.

⁷⁾ verbi gratia constat, fundamento ita iacto, quaestiones, quae de singulis in sacra doctrina poni possunt, perducii posse ad conclusiones vere scitas.

littera: et propterea tamquam prima et essentialis differentia inter subalternantem et subalternatam suscipienda est, et ex his oportet omnes difficultates solvi, si doctrina vera est. Scito igitur, quod de ratione scientiae absolute, ut distinguitur contra alios habitus seu virtutes intellectuales, est habere conclusiones visibiles in alio, id est in principiis, quoniam omnis scientia ex principiis oritur necessario. Et ex hoc sequitur quod nec scientia subalternans nec subalternata habet evidentiam conclusionum in seipsis, sed adiuta habitu principiorum. Verum in hoc differunt, quod subalternantis conclusiones visibiles sunt ex et in principiis immediate, id est absque alio medio habitu: subalternatae vero conclusiones visibiles sunt ex et in principiis per se notis mediate, mediante scilicet habitu scientifico subalternante. Et haec est essentialis et per se differentia inter subalternantem et subalternatam scientiam. Ceterae autem conditiones sunt consequentes aut sunt talis subalternae, non subalternae ut sic: puta quod una dicat quia¹⁾, et altera propter quid²⁾, aut quod obiectum addat differentiam accidentalem extraneam. Haec namque est conditio subalternationis quoad principia, gratia materiae, ut infra patebit.

Essentiale ergo omni scientiae proprie dictae, i. e. discursivae, est: habere conclusiones visibiles non in se et ex se, sed in et ex alio. Et ex his deducuntur quinque:

Primo, quod omnis scientia est scientia ex sua continuatione ad habitum superiorem. Quoniam non nisi ex illa continuatione evidentiam habet conclusionum, et, ut dicitur I Poster. (cap. II, n. 8) non sciet non habens demonstrationem demonstrabilium. Demonstratio enim est quae continuat,³⁾ non curando modo actu vel potentia.

Secundo, quod scientia subalternata est scientia ex continuatione seu continuabilitate ad scientiam superiorem, eadem ratione.

Tertio, quod per se habitus principiorum proximorum subalternatae est habitus scientificus subalternans.⁴⁾

Quarto, quod scientia subalternans et subalternata non necessario opponuntur ex parte obiecti nec ex parte subiecti, sed potius ex parte conditionum medii, quia scilicet medium⁵⁾ in sub-

1) sc. scientiae naturales.

2) metaphysica.

3) Demonstratio non est ergo formaliter inquisitio conclusionis sed est intellectualis connexio, quae actu datur in fine processus logici.

4) Nota: scientificus. Ergo principia per se nota ut derivata ad habitum scientificum sunt habitus per se principiorum proximorum subalternatae.

5) medium est id, quod continuationem conclusionis ad principia efficit. Est vinculum artificiale, quo conclusio conecitur cum principiis per se notis, est processus logicus. Et patet, quod in subalternata processus logicus conclusionem non immediate connectit cum principiis per se notis, sed mediante habitu alterius speciei.

alternante immediate iungitur principiis per se notis, subalternatae vero mediate, mediante scilicet habitu alterius speciei.

Quinto, quod subalternata et subalternans sunt compossibiles in eodem subiecto, quia non opponuntur ex parte subiecti.

Et ex his deducitur Sextum, quod principia proxima subalternatae possunt duplici habitu cognosci, scilicet scientia superiori et fide, ut in littera expresse dicitur, dum in corollario ponitur fides de principiis, et in distinctione ponitur lumen superioris scientiae de eisdem. Sed scientia superior est eorum habitus per se, quia ex essentiali¹⁾ comparatione, ex qua habet subalternata quod sit scientia: fides vero est eorum habitus per accidens, quia ratione subiecti in quo est, puta perspectivi non geometrae.

Est autem unum hic advertendum, quod in prima et essentiali conditione subalternatae scientiae concurrunt duo. Primum est inevidentia²⁾ in se cum evidentia ex et in alio — secundum est mediatio³⁾ principiorum proximorum, quae est causa illius inevidentiae in se. Sed primum horum est formale et consequenter omnino semper requisitum: secundum autem est materiale. Si enim posset salvari illa inevidentia⁴⁾ cum visibilitate in alio absque mediatione, nihil minus subalternaretur illi: quia, ut iam patet ex dictis, penes illum modum evidentiae est essentialis et per se differentia inter subalternantem et subalternatam. Et hinc sequitur quod non oportet principia⁵⁾ subalternata ex formali ratione subalternationis habere propter quid⁶⁾, sed sat est esse illo modo propositiones inevidentes et visibiles.

Conclusio modificata est:

Sacra doctrina est scientia, subalternata scientiae Dei et beatorum.

Probatur: Habitus acquisitus ex principiis notis lumine scientiae Dei et Beatorum est scientia subalternata illi. Sacra Doctrina est huiusmodi. Ergo.

Circa hunc articulum adverte conclusionem responsivam habere duas partes, scilicet et quod theologia et scientia,

¹⁾ i. e. intrinseca comparatione seu obiectiva.

²⁾ conclusionum.

³⁾ principia proxima mediate se habent ad inferendas conclusiones earumque evidentiam, quia principia proxima subalternatae sunt conclusiones subalternantis, quae, ut habitum per se sistant, oportet ut connexas sciri cum principiis per se notis.

⁴⁾ in se

⁵⁾ non principia per se, sed principia, ut tantum id sistant, a quo proxime fit derivatio.

⁶⁾ id est: exhibere causam proximam et adaequatam conclusionum per reductionem mediatione ad propositiones, quae habent »propter quid« nam principia subalternata, ait Cajetanus ipse, sat est esse propositiones inevidentes.

et quod est subalternata scientiae Dei — Contra quidem primam partem multipliciter arguitur a Durando, Aureolo et Gregorio de Arimino, ut habes hic a Capreolo (prol. Sent. 9. 1.), ex conditionibus ipsius scire et demonstrationis assignatis I Poster. (cap. II) et VI Ethic. (cap. VI). Ex parte obiecti: Quia scientia est de necessariis: ista est de contingentibus, puta Incarnatione, Praedestinatione, glorificatione, etc. —

Ex parte principiorum: Tum, quia scientia est ex per se notis, tum quia habitus principiorum scientiae est superior habitu conclusionis. —

Ex parte certitudinis¹⁾: tum quia sciens scit se scire:²⁾ tum quia scientia est virtus intellectualis.³⁾ Et si dicatur quod theologus scit se scire ex suppositione, scilicet si articuli fidei sunt veri: ergo, inquit Aureolus, ista est scientia consequentiarum, et non consequentium, et necessitatis consequentiae et non consequentis, et breviter: illationum, non rerum.

Ex parte modi: Sacra doctrina, inquit Scotus in III Sent. dist. XXIV qu. unica non est tradita per discursum syllogisticum, sed omnibus aequae assentimus, ita quod non uni propter aliud. — Ergo.

Antecedens manifestatur. Quia licet arguatur I ad Corinth., cap. XV et a doctoribus, nulla tamen maior certitudo est probatae quam probantis⁴⁾, aut probatae et non probatae sed simpliciter propositae, quod in scientia non contingit. —

Ex parte demum subiecti: Fides et scientia apud te non stant simul, inquit Scotus ibidem, et qu. III Prologi Primi. — Ergo.

Contra secundam autem partem seu minorem allatae rationis multipliciter arguitur, impugnando duo: a) primo diversitatem theologiae nostrae a theologia Dei et Beatorum — b) secundo, quod distinctio illa quae est inter eas, qualiscumque sit, non est distinctio cum requisitis conditionibus ad subalternantem et subalternatam.

a) Scotus igitur, in I Sent., qu. III Prologi, dupliciter in-

¹⁾ Certitudo duplex comprehendit elementum: unum plus quam alterum quid subiectivum dicit, et est persuasio scientis, se scire seu reduci posse conclusiones ad principia evidentia, alterum sistit potius quid obiectivum et dicit, scientiam esse virtutem intellectualem, quod non competit fidei, quae est potius languor virtutis.

²⁾ cf. notulam praecedentem.

³⁾ cf. notulam primam.

⁴⁾ Hoc manifeste verum non est; sed propositio probans seu directe revelata certitudine praeceminet conclusioni per se loquendo, quia conclusioni admiscetur aliquid de proprio, de rationis vi. Nihilominus et ipsa conclusio habet veram certitudinem, quae quidem acquiritur arguendo, in quo differt a fide.

vehit contra primum. Scientia Dei¹⁾ non potest esse nisi una formaliter: igitur nulla est subalternata.²⁾

Antecedens patet, quia Deitas non est nisi una ratio formalis.

Praeterea: de eisdem veritatibus primo impossibile est esse subalternantem et subalternatam, quia ubi illa desinit, haec incipit: istae sunt de eisdem. Ergo.

b) Contra secundum autem, Scotus ibidem et in III ubi supra, dupliciter arguit. Scientia subalternata dependet a subalternante ut a causa; ista non dependet sic a scientia beatorum. Ergo.

Probatur Minor: Causa scientiae non est nisi obiectum vel lumen quorum nullum est scientia illorum.

Praeterea, subalternata et subalternans sunt compossibiles in eodem subiecto: istae non sunt compossibiles. Ergo.

Probatur Minor: Quia consequeretur, quod idem esset simul comprehensor et viator.

Demum contra idem arguit Durandus: Subalternans dicit propter quid, et subalternata quia; istae non sic se habent. Ergo.

Probatur Minor: quia theologalia non habent propter quid³⁾, et si habent, idem dicimus nos et Beati, puta propter quid Christus est incarnatus, scilicet propter humanam salutem.

Ad evidentiam hujus difficultatis scito duo: Primum est, buod theologia nostra potest dupliciter considerari, uno modo secundum se, alio modo ut in nobis viatoribus. Si consideretur secundum se⁴⁾, procul dubio est scientia subalternata scientiae beatae quoad evidentiam, cum ex eius continuabilitate⁵⁾ scientiae rationem⁶⁾ induit, cum procedit ex principiis secundum se notis lumine beato. Et contra hoc paucae aut nullae rationes militant, quoniam primae rationes⁷⁾ infringunt theologiam nostram

¹⁾ i. e. de Deo.

²⁾ Conclusio esse deberet: ergo non existit in nobis theologia ut distincta — quod intenditur probare — a scientia Dei, et beatorum, posita est autem: igitur nulla est subalternata, quia materialiter coincidit cum alia conclusione.

³⁾ i. e. videtur, quod in theologalibus, utpote revelatis, non possumus causam proximam et adaequatam assignare, et si possumus, idem dicimus nos et Beati, ita ut non sit diversitas vel subalternatio.

⁴⁾ secundum se consideratur, uti ei propter articulos fidei, ex quibus ut ex lumine proximo, procedit, convenit oriri ex principiis notis secundum se lumine superioris scientiae.

⁵⁾ per lumen communicatum in articulis fidei.

⁶⁾ propter dependentiam a lumine superiori.

⁷⁾ Innuuntur rationes a Durando, Aureolo et Gregorio de Arimino ex parte obiecti, principiorum, certitudinis et modi adductae.

in nobis¹⁾ non esse scientiam²⁾, secundae vero non esse subalternatam totaliter, non quoad aliquid.³⁾

Si autem consideratur ut in nobis viatoribus, sic difficultates emergunt.⁴⁾ Et putatur quod etiam apud s. Thomam sic accepta non sit scientia nisi aequivoce, ut alibi (III Sent. dist. XXXIII, qu. I a 2 quaer. 4) ipse dicere videtur: nec sit subalternatio nisi secundum quid⁵⁾, scilicet quoad evidentiam. Et si haec considerentur, facilis esset quaestionis solutio.

Verum mihi videtur, aliter esse interpretandum s. Thomam quoad secundum praecipue punctum. Nam quoad primum punctum, scilicet quod theologia nostra ut in nobis viatoribus non sit aut sit scientia, utraque pars potest, sane intellecta, dici, et quod non sit, (scilicet non habet scientiae rationem perfectam, quia non vere scit, qui non potest solvere in principia evidentia et hoc intendit ubicumque hoc innuit) et quod est scientia imperfecta, ratione status praesentis: scientia enim imperfecta non est extra latitudinem scientiae. Et hoc affirmavit hic littera. Et ne daretur occasio male intelligendi, cum fuisset tantum quaesitum utrum esset scientia, responsum est affirmative cum adversativa

1) sc. ut in nobis i. e. viatoribus. Datur enim solum haec oppositio: theologia nostra in nobis secundum se et in nobis ut in nobis viatoribus. Et primum, ait Cajetanus, a nemine infringitur.

2) propriis nominis,

3) sc. quoad evidentiam, id quod postea in nota explicabitur.

4) cf. notulam sextam.

5) Subalternatio secundum quid habetur, prout conclusiones non quidem visibiles sunt in principiis, ex quibus demonstratio procedit, quia haec ipsa evidentiam non habent, sed tamen certae sunt, quia principia certa sunt propter auctoritatem administrantis principia, cui sunt evidentia in superioribus notitiis. Et praecise quia arguens ut arguens non potest imbui his superioribus principiis sciendo ea, datur subalternatio secundum quid. Si haec instituitur consideratio, quae ut patet, ex parte subjecti omnino se habet, datur quidem subalternatio ad scientiam divinam, sed non cum continuabilitate ad eam, et propterea quoad evidentiam principiorum ita deficit, ut subjectum absolute non possit scire principia suprema, id quod non habetur in scientia simpliciter subordinata, ubi potentia saltem reducendi existit. Et sic etiam patet, quod talis subalternatio ex ratione scientiae oritur, quia scire stricte sumptum exigit, ut arguendo sciens possit saltem principia suprema conclusionum scire. Ex quibus dictis etiam patet, quod, sicut theologia nostra secundum hanc considerationem est subalternata secundum quid tantum, sic etiam est scientia tantum secundum quid. Ergo, in summa, theologia nostra ut in nobis viatoribus est scientia secundum quid (= scientia imperfecta) et est subalternata secundum quid in sensu exposito. Sed est etiam, ut in nobis viatoribus, in quodam vero sensu subalternata simpliciter, prout scilicet principia, ex quibus conclusiones sciuntur, secundum se infallibiliter habent reducere argumentem ad visionem beatam et participationem scientiae divinae et beatorum ex qua etiam ipsa sunt causata ut habitus per accidens scientiae nostrae theologiae.

subiuncta, ut completa responsio esset cum conditione specificante, et non absolute.¹⁾ Non enim probavit quod est scientia²⁾, sed quod est scientia subalternata, ut ex qualitate adiuncta intelligeres imperfectionem, quam in hoc statu habet.

Quoad secundum vero punctum, de subalternatione, videtur mihi, quod de subalternatione simpliciter intendat littera.³⁾ Tum, quoniam de tali distinxerat ante conclusionem: tum quia, ut patet ex dictis, subalternatio⁴⁾ quoad evidentiam oritur ex ratione scientiae. Et propterea tenendum arbitror quod theologia nostra, secundum se, est vere scientia simpliciter subalterna: ut in nobis vero viatoribus, est scientia imperfecte, sed simpliciter subalterna.

Tu autem, novitiae, cum disputans, cave ne fallaris, pro eadem accipiens theologiam secundum se et theologiam nostram secundum se. Haec enim valde differunt. Quoniam theologia secundum se est scientia quam nata est parere Deitas secundum se, et haec est theologia quam Deus de seipso habet. Sed theologia nostra distinguitur, si ly nostra demonstrat humanam naturam simpliciter, in theologiam beatorum et viatorum. Non oportet autem distingui, si ly nostra demonstret viatores, et sic accipitur in proposito. Haec autem potest accipi secundum se, et ut in nobis viatoribus. Habes autem distinctionem hanc ultimam ex littera, dum⁵⁾ in corollario manifeste loquitur de theologia nostra ut in nobis viatoribus, quorum est credere principia: et in conclusione responsiva locutus est de eadem secundum se: convenit siquidem ei secundum se, oriri ex principiis notis secundum se lumine superioris scientiae.

Secundum est, quod quia omnia nostra, translata in Deum, seclusis imperfectionibus transferri intelliguntur, consequens est quod scientia ratione evidentiae et certitudinis non quoad discursu imperfectionem:⁶⁾ et quod subalternare non quoad discursu demonstrativo probare principia subalternatae, sed quoad evidentiam illorum et causalitatem notitiae eorum in aliis, transferatur in Dei scientiam. Ac per hoc non oportet ex sub-

1) i. e. ut responsio limitate et non absolute intelligeretur.

2) simpliciter.

3) Competit ergo theologiae nostrae esse subalternatam secundum quid sub consideratione elementi subjectivi, esse simpliciter subalternatam sub respectu elementi objectivi, ut scilicet principia eiusdem, articuli fidei, causata ex scientia beata, iterum ex se infallibiliter reducere habent argumentem ad participationem scientiae divinae et beatorum.

4) Innuitur hic subalternatio secundum quid.

5) = nam.

6) transfertur in Deum.

alternatione quod principia theologiae nostrae sint conclusiones¹⁾ theologiae²⁾ beatorum, sed sat est, quod sint propositiones evidentes theologiae beatorum. Sicut si geometria absque discursu esset, haberet quam nunc habet evidentiam de principiis perspectivae, sed non eodem modo, et nihil minus sub alternans esset. Quia igitur conclusiones theologales procedunt ex articulis fidei ut principiis non in se evidentibus, sed in scientia Dei et beatorum, consequens est quod habet essentialem conditionem constitutivam scientiae subalternatae, et quod est scientia ex continuatione ad scientiam Dei et beatorum, et quod habitus per se principiorum eius est scientia divina, habitus vero per accidens eorum est fides, et quod non opponitur scientiae beatae ex parte obiecti³⁾ nec subiecti⁴⁾, sed secundum evidentiam et inevidentiam negative⁵⁾ et quod sunt compossibiles in eodem subiecto simul.

Nec est idem iudicium de scientia subalternata et fide. Quoniam lumen divinum absolute est per se ratio formalis huius notitiae in quantum scientifica est: lumen autem divinum obumbratum est per se ratio assensus fidei, quae per accidens est, ut dictum est (ibidem), habitus principiorum horum. Et ideo habitus principiorum non remanebit in patria, scientia autem acquisita ex eis remanebit, iuxta illud Hieronymi (epist. I—III cl. c. III) ad Paulinum: Discamus in terris, etc.

Unde ad rationes in oppositum contra primam partem⁶⁾ inductas singillatim, propter novitios, respondendo dicitur:

Et ad primum, quod Incarnatio et alia huiusmodi secundum se contingentia, ut subsunt huic scientiae, sunt necessaria, quemadmodum ut scita a Deo sunt necessaria, ut in quaestione XIV (art. 13) patebit.

Ad secundum vero iam patet quod ista scientia est ex per notis, id est: evidentibus, mediate, et hoc sufficit iuxta illud I Topic. (cap. I): Demonstratio est ex per se notis vel ex his quae per illa fidem sumpserunt. — Habitus quoque per se

¹⁾ mediante habitu scientifico reducendae in principia per se nota, id quod in profanis scientiis subalternatis contingit.

²⁾ = in theologia.

³⁾ Respondendo ad secundum (contra secundam partem) Cajetanus dicit, quod theologia nostra et beatorum non sunt de eisdem veritatibus, prout manifestum est de veritatibus articulo fidei, de quibus est theologia beatorum, non nostra, quia de articulis non est scientia. Quod objectum conclusionum attinet, datur identitas.

⁴⁾ Nam in Beato habetur utraque scientia, ut postea dicitur.

⁵⁾ non positive; ita enim reducibilitas nostrae scientiae ad scientiam beatorum tolleretur; sed tantum ex actuali statu subiecti cognoscentis, per accidens, est inevidentia.

⁶⁾ qua impugnatur theologiam esse scientiam.

principiorum huius scientiae est altior ipsa,¹⁾ quidquid sit de habitu per accidens, id est fide, quae dici potest altior scientia quoad adhaesionem, licet non quoad evidentiam.

Ad tertium autem dicitur, quod theologus scit se scire, non conditionaliter sed subalterne; hoc autem non est scire illationes tantum, sed illata ex principiis evidentibus in superiori scientia. Nec plus potest inferri ex tali inevidentia, nisi quod tale scire non est perfectum, nisi continetur cum superiori scientia, quod non solum concedimus, sed docemus. — Et similiter dicimus quod scientia subalterna, usquequo non continuatur subalternanti, non est virtus intellectualis, et ideo spectat ad eandem virtutis speciem, scilicet scientiam.

Ad quartum, quod est Scoti, negatur antecedens. Quoniam in sacra Scriptura traduntur demonstrationes virtualiter, et generatur alius habitus a fide, ex deductione conclusionum ex articulis fidei. Nec est verum quod omnibus assentiamus aequae, seu eodem modo. Quoniam articulis assentimus non propter aliud: conclusionibus autem, de quibus solis est haec scientia, assentimus propter articulos. Et cum dicitur quod aequae assentimus probatis et simpliciter propositis, respondetur: Si omnia simpliciter credenda proponerentur, theologia nostra in se quidem esset scientia, quia conclusiones suae secundum se natae sunt deduci ex articulis fidei, sed quoad nos non esset scientia, sed fides, et non solum aequae, sed eodem modo assentiremus omnibus. Verum quia de facto articuli proponuntur nobis simpliciter credendi, cetera autem ut ex articulis deducenda, ideo non eodem modo assentimus principiis et conclusionibus. Nec aequae assentimus conclusionibus probatis et non probatis, propter quod circa non probatas tanta opinionum diversitas in sacra doctrina toleratur. Et propterea est scientia non solum in se, quoad nos imperfecta tamen.

Ad ultimum autem iam patet, quod non ponimus fidem et scientiam de eodem simul: quia fides est de articulis, scientia autem de conclusionibus.

Ad argumenta vero contra secundam partem respondendo dicitur, quod scientia de Deo adaequata non potest esse nisi una: inadaequata vero potest multiplicari. Talis autem est theologia. — Vel dicatur, et melius, quamvis in idem redeat, quod antecedens est simpliciter falsum. Quoniam ad unitatem scientiae requiritur et unitas formalis obiecti ut res, et unitas formalis obiecti ut obiectum, ut in sequenti patebit articulo. In proposito autem, quamvis deitas sit una ratio formalis obiecti utriusque theologiae ut res est, alia tamen et alia est ratio formalis eiusdem obiecti ut obiectum est, in utraque theo-

¹⁾ Altior scilicet conclusionibus ut talibus.

logia. Quoniam Deus ut clare¹⁾ visus obicitur beatis: Deus autem ut revelatus, abstrahendo a claritate et obumbratione,²⁾ obicitur theologiae nostrae absolute sumptae.³⁾

Ad secundum dicitur, quod theologia nostra et beatorum non sunt de eisdem veritatibus, prout manifeste patet de veritatibus articulorum fidei, de quibus est theologia beatorum, non nostra.

Et per haec patet responsio ad formam argumenti Aureoli.⁴⁾ Concedi siquidem potest quod subjectum theologiae nostrae addit aliquo modo ad subjectum theologiae beatorum, accipiendo subjectum nostrae theologiae pro toto aggregato ex subiecto ut re et ut objecto: sic enim subjectum est Deus revelatus; revelationem autem constat addere differentiam accidentalem.⁵⁾ At si pertinaciter ex parte objecti ut res est, additionem talem quis exigit in subiecto subalternatae, negatur assumptum universaliter, licet

¹⁾ »Clare« hic non sumitur reduplicative; alias enim doctrina per revelationem existens denotaret obumbrationem, id quod statim Caj. negabit.

²⁾ notatur tantum, Deum docere; abstrahitur a claritate vel obumbratione eorum quae docentur.

³⁾ i. e. theologiae nostrae secundum se, quae, ut talis, oriri habet ex principiis notis secundum se lumine superioris scientiae. Sed prius Cajetanus dixerat, quod theologia nostra et theologia Dei non opponuntur ex parte obiecti. Cum nunc contrarium dicere videatur, quaeritur, quo modo Cajetanus conciliari possit sibi. Et quod de obiecto formali Cajetanus prius affirmaverit, extra controversiam esse videtur. Dicendum esse videtur, quod identitas obiecti formalis ideo habetur, quia in utraque theologia Deus in se et non in aliquo signo Dei cognoscitur, licet in theologia beatorum formale constitutum divinae naturae cognoscatur, quod in theologia nostra non cognoscitur; sed Deum in se cognosci etiam in nostra theologia, patet ex eo, quod Deum Trinum cognoscimus. Et hinc etiam stricte diversitas istarum scientiarum derivatur, non ex eo, quod Cajetanus ponit; nam visio est medium formale seu ratio formalis sub qua seu obiectum formale quo ad attingendum formale constitutum divinae naturae, et cognitio non visiva sed per institutionem Dei adepta est medium formale ad attingendum Deum in se inadaequate in theologia nostra. Ratio autem formalis sub qua nunquam, si stricte volumus loqui, est ratio formalis quae nec eam intrinsece complet. Scio quidem, Thomistas exemplum lucis exhibere, quam ajunt esse et rationem formalem quae videatur et medium formale cur videatur corpus coloratum. Sed 1^o. contra physicam modernam est, lucem in se videri, et 2^o. etsi lux in se videatur, tamen in se non videtur, cum res colorata videtur, quod tamen requiritur, ut lux una cum colore duas rationes formales quae exhibeat, quas simul videat oculus. Quod si ad rem nostram applicamus, patet, nec visionem nec cognitionem non visivam in se attingi, cum simul attingitur obiectum formale, Deus in se, et iterum patet, nec visionem nec cognitionem non visivam separate ab apprehensione obiecti formalis in se videri posse, cum tantum per reflexionem cognoscantur. Restat ergo, revelationem tantum aliam rationem formalem sub qua sistere nec tam ad obiectum terminativum quam ad modum cognoscendi pertinere.

⁴⁾ Argumentum Aureoli est: Subjectum subalternatae addit ad subjectum subalternantis; sed subjectum theologiae nostrae non addit: ergo. Ubi notandum est, quod ex prius dictis non requiritur subjectum subalternatae addere differentiam accidentalem. Requiritur tantum, principia subalternatae claritatem habere secundum se in principiis subalternantis.

⁵⁾ Negatum est a nobis, revelationem exhibere aliam rationem formalem.

in quibusdam verificetur. Nec oppositum dicitur I Poster. (cap. VII n. 9) sed docetur ibidem quod una scientia non descendit in aliam, nisi subjectum sit sub subjecto¹⁾ simpliciter²⁾ vel sic,³⁾ quod concedimus, dum dicimus scientiam beatorum descendere in nostram, quia formale subjectum ut res est omnino idem utrobique, et ut objectum hujus, et sub objecto illius.

Ad reliqua vero objecta contra secundum punctum dicitur,⁴⁾ quod ista scientia dependet a theologia beatorum ut a lumine, et quod sunt compossibiles in eodem. Nec sequitur, quod idem sit simul viator et comprehensor, sed sit simul comprehensor et habens scientiam, quam acquisivit in via alio modo non solum propter exclusionem discursus sed propter perfectionem quam ex continuatione ad scientiam beatorum sortitur.⁵⁾

Ad ultimum Durandi negatur theologales conclusiones non habere propter quid, quidquid sit de principiis. Et si idem propter quid nos et beati dicamus,⁶⁾ non tamen eodem modo, quia illi evidenter, nos autem absque evidentiis. At si principia dicatur oportere habere propter quid,⁷⁾ responsum est quod sufficit quod non sint evidentiis in subalternata, sed in subalternante. Et hoc loquendo de propter quid proprie: nulla namque est propositio pure theologalis, quae non habeat aliquo modo propter quid.⁵⁾

Et sic patet responsio ad omnia objecta.

¹⁾ vel.

²⁾ i. e. totaliter, quod habetur, cum prima scientia quaedam longius tractanda relinquit, ut v. g. contingit in theologia morali relate ad theologiam dogmaticam; sed in hoc casu secunda scientia tantum improprie alia scientia audit.

³⁾ i. e. determinato modo ut differentia accidentalis additur. Sed nota, Philosophum exigere hanc differentiam propter ignorantiam ordinis supernaturalis, ex quo derivamus cum Cajetano, hanc differentiam non esse de essentia subalternationis.

⁴⁾ Primo loco respondetur ad objectionem Scoti negantis theologiam nostram dependere a theologia beatorum quoad lumen ut a causa sua.

⁵⁾ Haec perfectio consistit in ordine ad actuatam participationem actus divini quo Deus seipsum quidditative intelligit.

⁶⁾ v. g. cum causam proximam personalitatum divinarum assignamus processionis.

⁷⁾ Sermo est de principiis scientiae subalternatae Patet, quod in scientiis subalternatis ordinis naturalis principia proxima habent propter quid in propositionibus per se notis, ex quibus scientia subalternans procedit. Et sic in istis datur propter quid determinate assignabile. Sed idem Durandus requirit a theologia nostra, ut sit scientia subalternata proprii nominis. Quod cum non inveniat, negat, theologiam esse scientiam proprie subalternatam.

⁸⁾ Conclusio aliquo modo propter quid habet, cum causam assignat auctorem ordinis supernaturalis restituti in Christo ad salutem humanam. Sic v. g. Immaculata Conceptio habet ut causam aliquo modo propter quid auctorem ordinis supernaturalis in Christo restituti, ut Christo convenit habere matrem immaculatam. Et sic de aliis.